



GENERIS NOBILITATE, PIETATE,
OMNIUMQUE, TVM ANIMI, TVM CORPORIS
virtutum laude præclarissimo viro, DN. IOHAN-
NI ENGELBERTO ALAVERN, &c. Domi-
no, & fautori suo plurimum honorando.

GRATIAM, & pacem à Deo Patre, per Iesum Christum
Dominum nostrum, pro nobis crucifixum. Nobilissime
Domine, Quanti sacratissimam Iesu Christi Domini
nostri passionem fecerit Paulus, gentium Apostolus, ne-
mini, vel mediocriter in diuinissimarum eius epistola-
rum lectione versato, obscurum esse potest. Testis huius sit hæc eius asser-
tio, 1. Cor. 2. 2. Non decreueram quicquam scire inter vos, nisi Ie-
sum Christum, eumque crucifixum. Item illa Gal. 6. 14. A me verò
absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem
mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Et sanè, si rem ipsam
qualis in sese est, aestimauerimus, recta, & solida Iesu Christi crucifixi præ-
dicatio, omnem ad æternam salutem cognitionem necessariam perfecte in
se comprehendit. Ideò hic idem Apostolus, omnem, omnium scientiarum,
literarum, atq; artium cognitionem, extra hanc crucis Christi salutarem
scientiam, pro stultitia, vanitate, & fumo proclamare, imò planè humili
prosternere, & pedib. quasi conculcare non veretur, 1. Cor. 1. 18. &c. sic lo-
quens: Sermo ille de cruce, iis quidem, qui pereunt, stultitia est:
nobis autem qui seruamur potentia Dei est. Scriptum est enim;
Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium
tollam è medio. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor seculi
istius? nonne infatuauit Deus sapientiam mundi huius? Nam
postquam in sapiëntia Dei mundus non cognouit Deum ex eius